

est libra. Igitur omne medium rei est quidem medium rationis, non tamen e contra omne medium rationis est medium rei. Istud autem medium rei non est omnino idem in Justicia distributiva & commutativa, in hac enim est aequalitas absoluta, in illa aequalitas proportionalis, ut dictum est Art. præc.

Ex his ulterius colliges (Hic q. 17. a. 1. o.) rectum absolute & materialiter in opere Justitiæ haberi per solam commensurationem ad alterum sine commensuratione ad agentem, secus in aliis virtutibus: v. g. qui debens centum reddit centum, facit rectum, seu justum absolute & materialiter: quamvis id sit suis viribus improprietatum, puta quod inde patitur egestatem in familia, aut malo animo faciat. Non est autem temperatum, neque fortè etiam absolute & materialiter, nisi sit commensuratum conditioni agentis. Dixi: *rectum absolute & materialiter*; (Hic q. 19. a. 2. ad 3.) quia, si loquamur de recto formaliter, & prout procedit ab habitu virtutis necesse est in materia Justitiæ, sicut in materia aliarum virtutum, quod fiat propter finem virtuti convenientem, & cum omnibus aliis circumstantiis.

Dices, non videri justum nec rectum, quod impotens solvat creditori, neque quod majoribus occupatus aut loco disitis hic & nunc restituit: ergo justum, seu rectum etiam in opere Justitiæ sumitur per comparisonem ad agentem. R. N. Cons. quia antecedens est de executione justii; nos autem loquimur de justo absolute. Si enim debitor, sive sit pauper, sive disitis, solvat quod debet, est justum absolute; quia est juri alterius adæquatum. Utrum verò in talibus circumstantiis teneaturolvere? alia est questio.

Dices insuper: Etiam in aliis virtutibus habetur rectum absolute & materialiter sine comparatione ad agentem: v. g. qui fortiter pugnax ex inani gloria, facit opus forte; qui temperatè inducitur ex avaritia, facit opus temperatum, absolute scilicet & materialiter: ergo. R. Hæc non esse recta etiam absolute & materialiter absque comparatione ad agentem. Sic in primo non est opus forte, nisi sit commensuratum ejus viribus; in secundo non est temperatum, nisi sit commensuratum ejus valetudini. In Justitia autem erit justum, modo sit commensuratum juri alterius, etiamsi presentis agentis dispositioni non sit commensuratum.

Si queris, utrum opus illius, qui pugnax, aut manducit per comparationem ad seipsum, seu conformiter suæ conditioni, sed ex prava intentione aut non cum debitis circumstantiis, possit dici rectum, seu forte & temperatum materialiter; sicut dicitur rectum, seu justum in materia Justitiæ per commensurationem ad alterum. R. Tale opus eamdem posse dici forte, aut temperatum, quatenus servat medium in materia fortitudinis & temperantia; eo modo quo Gentilis dicebantur temperatè, aut fortiter agere, licet ex inani gloria agerent. Id enim dicitur opus alicujus virtutis materialiter, quando servat medium in materia talis virtutis, licet ab ea non procedat.

Colliges 3. in summa, Justitiam particularem differre quatuor modis ab aliis virtutibus moralibus. 1. quod Justitia sit ad alterum, alia virtutes ad ipsum subjectum. 2. quod Justitia versetur circa actiones externas & res, alia virtutes circa passiones. 3. quod medium Justitiæ sit medium rei; medium aliarum virtutum, medium rationis. 4. denique quod in opere Justitiæ habeatur rectum absolute per solam commensurationem ad alterum, in aliis autem virtutibus per commensurationem ad ipsum agentem.

ARTICULUS V.

Utrum inter Patrem & Filium, inter Domum & Mancipium, inter Virum & Uxorem sit Justitia propriè dicta.

Dico 1. Inter Patrem & Filium non emancipatum, inter Dominum & Mancipium non est Justitia omnino perfecta; est tamen verè & propriè dicta Justitia. (Hic q. 57. a. 4. o.) Prob. 1. pars. (Ib.) Ad Justitiam perfectam tria requiruntur, ut patet ex dictis. 1. quod sit ad alterum: 2. quod id, quod redditur, sit debitum: 3. quod sit æquale; atque inter præfatos non reperitur perfectè prima conditio: ergo. Prob. minor. Filius est aliquid Patris, nempe pars ejus; & Servus est aliquid Domini, nempe ejus instrumentum, comparatur enim ad Dominum sicut securis ad artificem: ergo comparatio Filii ad Patrem & Servi ad Dominum non est perfectè ad alterum. Idem dic de Patre ad Filium, & de Domino ad Servum, quia si primus non est perfectè alter à secundo, secundus non

est perfectè alter à primo. Et ob hanc causam inter præfatos non dicitur Justitia seu Jus simpliciter, sed cum addito, nimirum, Jus paternum, & Jus herile, seu dominativum, ut distinguatur a Jure politico, quod est perfectum inter Cives.

Prob. 2. pars. (Ib. ad 2.) Quamvis Filius ut Filius sit aliquid Patris, ut homo tamen est suppositum distinctum a Patre, similiter Pater ut homo respectu Filii: ergo Justitia inter illos sub ista ratione est ad alterum, proindeque salvat rationem Justitiæ, licet, quia sic est suppositum, quod tamen sit genitus a Patre, non sit perfectè ad alterum. Idem dic de Domino & Servo. Hanc esse mentem D. Th. pluribus rationibus probat Sylv. Vide, si lubet. Confirmatur. Si Filius, etiam non emancipatus, furaretur a Patre, teneretur ad restitutionem; atque restituito est actus Justitiæ commutativæ propriè dictæ: ergo.

Dixi: inter Filium non emancipatum; quia inter Patrem & Filium emancipatum potest esse Justitia perfecta, non quidem quoad ea, quæ sibi mutuo naturaliter debentur puta quoad honorem, obedientiam, sustentationem, &c. quæ Filius debet Patri, aut quoad curam paternam, quam Pater debet Filio; quia Filius etiam emancipatus est semper Filius & aliquid Patris, proindeque quoad ea, quæ ut talis debet Patri, non est perfectè alter à Patre; sed quantum ad civilia, quæ sunt communia etiam his, qui sunt inter se extranei, ut sunt contractus v. g. quoad hæc enim Filius emancipatus est sui juris, sicut alter Civis; sicque in his potest exercere perfectam Justitiam erga Patrem, & vicissim Pater erga Filium. Secus, si non sit emancipatus; quia tunc non est sui juris, etiam quoad civilia, sed juris paterni, cum necdum sit Civis, nec se regat, sed regatur a Patre; nec pro se bona administrat, sed pro Patre.

Dices 1. contra 1. partem: ibi locum habet perfecta Justitia, ubi invenitur perfecta injustitia: injustitia enim est violatio Justitiæ: atque inter Patrem & Filium, inter Dominum & Servum potest reperiri perfecta injustitia, ut si Filius occideret Patrem, Servus Dominum: ergo. R. data majore D. min. Inter Patrem & Filium reperiri potest perfecta injustitia, id est, gravissima, C. min. Id est, perfecta secundum omnes qualitates Justitiæ, N. min. Non enim est tam perfectè ad alterum, sicut est inter duos Cives: est tamen gravius, quia violat Jus strictius & graviorem obligationem, est enim majus debitum Filii ad Patrem, quam Civis ad Civem. Omnis majorem, quia potest negari: cum enim minus requiratur ad malum, quam ad bonum (bonum enim ex integra causa, malum ex quovis defectu) minus requiritur ad perfectè injustum, quam ad perfectè justum.

Dices 2. contra eandem: Inter Patrem & Filium potest esse perfecta amicitia: ergo & perfecta Justitia. R. N. Cons. Disparitas est, quod amicitia non sit ad alterum tam perfectè, quam Justitia; quia, cum amor sit unio amantium, saltem secundum affectum, tendit ad alterum ut quodammodo unum; Justitia autem, cum sita sit in æqualitate unius ad alterum, tendit in alterum ut perfectè distinctum, & non quodammodo unum.

Dices 3. contra 2. partem. Virtus, qua Pater Filio & Filius Patri reddit quod suum est, non est Justitia propriè dicta, sed pietas, quæ solum est annexa Justitiæ, ut dicitur infra q. 80. & 101: ergo. Respondet Sylvius, pietatem esse veram & propriam Justitiam, licet imperfectam, quatenus non est ad perfectè alterum, & non importat perfectam æqualitatem. Respondent alii, præter pietatem, qua Filius est debitor Patri ut principio sui esse, posse in eo reperiri Justitiam commutativam propriam licet imperfectam, qua sit debitor Patri sub alia ratione, puta dari & accepti inter duo distincta supposita; ut si furaretur a Patre, teneretur ex dicta Justitia commutativa restituere ad æqualitatem. Undè inferunt, Filium in tali casu duplex peccatum committere, nempe contra pietatem & contra Justitiam commutativam. Alia argumenta contra utramque partem solvit Sylvius q. 47. a. 4.

Dico 2. Inter Virum & Uxorem est perfectior Justitia, quam inter Patrem & Filium, Dominum & Servum, nec est tamen secundum omnem perfectionem. (Ib. o.)

Prob. 1. pars. (Ib.) Uxor magis distinguitur a Viri, quam Filius a Patre, & quam Servus a Domino: ergo. Prob. antec. Vir & Uxor sunt distincta supposita, quorum neutrum accipit esse ab altero, sicut Filius a Patre, nec alteri subest ut instrumentum, sicut Servus Domino, sed simul junguntur ad vitam socialem secundum quendam æqualitatem: etenim quantum ad debitum conjugale sunt omnino æquales; quantum ad familiæ administratio-

nstrationem sunt æquales æqualitate proportionis; sicut enim Uxor debet obedire & auxiliari Viri, ita Vir debet Uxorem regere, & ipsi providere de necessariis, proles autem utriusque obedire: ergo. Quia tamen Vir est caput mulieris, & hæc est sub potestate Viri, non e contra; hinc fit, quod Justitia inter eos non sit secundum omnem perfectionem, ideoque non dicitur Justitia simpliciter, sed Justitia œconomica, quod est secunda pars conclusionis. Nec obstat, quod secundum Scripturam Vir & Mulier dicantur *una caro*, & quod Apost. ad Ephes. 5. dicat: *Qui Uxorem diligit, seipsum diligit*. Quoad primum enim sensus est, quod Vir & Mulier sint una caro, hoc est, unum principium carnale generationis. Quoad secundum sensus est, quod, cum Vir sit caput mulieris, caput autem & corpus unum quod constituent, Vir, qui diligit Uxorem, diligit suum corpus & consequenter seipsum. Quæri posset hic, utrum deus in Deo Justitia propriè dicta respectu hominum: sed hæc questio pertinet ad 1. partem q. 21.

Petes pro Coronide: utrum Justitia præmineat alijs virtutibus moralibus? (hic a. 12. o.) R. Justitia, tam generalis, quam particularis, præmineat virtutibus moralibus, quæ subjectantur in appetitu sensitivo, nimirum fortitudini & temperantia, aliisque virtutibus annexis. (Ib.) Quantum ad Justitiam generalem patet; quia ejus objectum, utpotè bonum commune, præstantius est objecto istarum virtutum

moralium, quod est privatum bonum unius persone. (Ib.) Quantum ad Justitiam particularem, etiam patet, tum quia est in nobiliori parte animæ, scilicet voluntate; tum quia ordinatur non solum ad bonum virtuosum, ut assignata virtutes, sed etiam ad bonum alterius. (Ib.)

Si dicas, liberalitatem, quæ subjectatur in appetitu sensitivo, etiam ordinari ad bonum alterius, & in hoc præeminere Justitiæ, quod illa det de suo, non ista. (Ib.) R. Esto, quod quantum ad hoc liberalitas præmineat Justitiæ, quod illa det de suo, non ista: Justitia tamen aliunde ipsi præminet in tribus. 1. Justitia propinquius accedit ad bonum commune redendo cuique quod suum est, quo servatur pax publica, ad quam liberalitas non ita concurrat. 2. Justitia latius extenditur, est enim necessaria respectu omnium; quod liberalitati non convenit. 3. fundamentum liberalitatis est Justitia; nemo enim liberalis nomen meretur largiendo quod non debet, nisi prius sit justus reddendo quod debet. De hac materia latè disserit Soto l. 3. q. 2. a. 8. Vides, hic non fieri comparisonem Justitiæ cum virtutibus Theologicis; neque cum virtutibus intellectuales, neque cum virtutibus moralibus, infusis; neque cum alijs, quæ etiam subjectantur in voluntate, ut est Religio, quas S. Doct. alibi probat præminere Justitiæ, sed tantum cum virtutibus naturalibus, quæ subjectantur in appetitu sensitivo, ut dixi in conclusione.

DISSERTATIO IV.

DE INJUSTITIA IN GENERE

Quest. 59.

ARTICULUS I.

Quid & quotuplex sit Injustitia?

Quis dicendus Injustus?

Nota: Sicut Justitia, ut dixi Diss. præcedenti, sumitur dupliciter, latè pro omni virtute, & strictè pro speciali virtute, quæ est secunda inter Cardinales; sic injustitia, quæ opponitur Justitiæ, sumitur etiam dupliciter: (Hic q. 59. art. 1. ad 1.) 1. latè pro omni transgressione Legis, quæ alio nomine dicitur iniquitas, quo sensu omne peccatum est injustitia. 2. strictè prout opponitur Justitiæ, quæ est secunda virtus Cardinalis. Sic accepta, sumitur vel actualitè, & est juris alieni violatio; vel habitualitè, & est prava dispositio inclinans voluntatem ad hujusmodi violationem.

Injustitia hæc, sive actualis sive habitualis dividitur ut Justitia in generale, sive illegalem, & particularem. (Ib. o.) Hæc in commutativam & distributivam, quia oppositorum est eadem ratio.

Dico 1. Utraque injustitia, tam illegalis, quam particularis, est vitium speciale. (Ib.)

Prob. 1. Pars. (Ib.) Injustitia generalis, seu illegalis respicit objectum speciale, scilicet bonum commune, quod continetur, aut contra quod agit ex intentione: ut si quis fornicetur, furetur, occidat, non solum ut suæ passioni satisficiat, sed ex contemptu boni communis, aut ex certa intentione agendi contra illud: hoc, inquam, ut patet, est speciale objectum constituens speciale vitium justitiæ in confessione explicandum. Si autem seclusa hac intentione ex sola passione quis furetur, fornicetur, &c. tunc non erit vitium speciale, sed generalis conditio omnis peccati; sicut inobediencia v. gr. est speciale peccatum, dum quis omittit opus præceptum, quia præceptum est seu ex certa intentione agendi contra Legem; est verò generalis tantum conditio cuiuscumque vitii, dum, seclusa hac intentione, Legem ex sola passione transgreditur.

Ex quo habes (Ib.) Injustitiam illegalem esse quidem speciale vitium secundum essentiam, generale verò secundum intentionem; quia ex animo agentis potest omnibus vitis immisceri: quatenus homo in omni peccato potest agere ex contemptu boni communis.

Prob. 2. pars. (Ib.) quia Justitia particularis habet præter objectum speciale, nempe inæqualitatem in rebus, dum homo vult plus habere de bonis, minus de malis: v. gr. carius vendendo, vilius emendo, &c. ergo.

Dico 2. Injustitia sive illegalis, sive particularis, est ex

genere suo peccatum mortale; quia contrariatur charitati, cuius privatio est mors animæ. (Ibid. a. 4. o.)

Dico 3. (Ib. a. 2. o.) Non omnis, qui facit injustum, hoc ipso dicendus est injustus, saltem philosophicè; sed solus ille, qui facit injustum ex habitu, aut ex deliberata electione nocendi, sive injustum faciendi. Quia, juxta morem Philosophorum (Ibid.) injustus est nomen significans habitum; qui autem injustum facit ex deliberata electione injusti quasi ipsi per se placeat injustificatio, magnum præbet indicium habitus præ-existentis: siquidem unicuique habenti habitum secundum se placeat, quod convenit illi habitui: ergo solus ille dicendus est injustus, qui facit injustum ex habitu, aut ex deliberata electione injusti. Conf. Nemo dicitur simpliciter virtuosus ex hoc, quod facit unum actum virtutis, neque justus, quod facit unum actum Justitiæ; neque castus, quod semel tentationi resistit: ergo a pari, &c.

Dices: Qui ex sola cupiditate furatur, adulteratur, etsi semel, dicitur fur & adulter: ergo similiter, &c. R. Talem equidem dici furem & adulterem, non tamen furcem & adulteratorem; quia prima nomina sunt significativa tam actus, quam habitus, posteriora habitus tantum: hæc autem *injustus*, *justus*, *virtuosus*, & alia hujusmodi, sunt, nec saltem Philosophorum, significativa habitus, unde est disparitas, et neganda consequentia.

Dixi; *more Philosophorum*: quia, cum voces significantivæ habitus sæpè ex usu transferantur ad significandum etiam actum; hinc factum est, ut in vulgo dicatur injustus, qui facit aliquem actum injustum, sive agat ex habitu, aut ex electione injusti, sive non.

ARTICULUS II.


Utrum aliquis possit pati injustum volens, formalitè loquendo, seu ut communiter dicitur: Utrum scienti & volenti fiat injuria?

Nota, injustum agere aut pati, posse sumi materialitè et formalitè: (Hic a. 3. ad 3.) agere aut pati injustum materialitè attenditur secundum id, quod exterius agitur, prout in se consideratur abstrahendo à voluntate tam agentis, quam patientis: v. gr. capis alienum putans esse tuum, facis injustum materialitè loquendo, quia facis inæquale. Injustum agere vel pati formalitè loquendo, attenditur secundum voluntatem agentis vel patientis, formale enim in moralibus petitur à voluntate: v. gr. sciens et volens capis alienum, facis injustum formalitè, et alter patitur injustum formalitè, si sit injus-
tus

tus. Solum autem formaliter solet dici injuria. Unde, quamvis pati injustum sumatur materialiter & formaliter, tamen pati injuriam solet tantum sumi formaliter.

Dico: (Ib. a.) Sicut nullus potest facere injustum per se & formaliter loquendo, nisi volens; ita nec pati injustum per se & formaliter loquendo, nisi volens. Per accidens autem quasi materialiter potest quis volens facere injustum, & pati volens. Prob. 1. pars. Sicut de ratione intrinseca actionis transeuntis est, ut ab agente procedat, ita & intrinseca ratione passionis est, ut sit ab alio, passio non conferente vim, seu renitente; ex quo colligit Philo. 3. & 8. Phys. idem secundum idem non posse esse agens & patiens; & omne, quod movetur, ab alio moveri; atque, si quis formaliter loquendo pateretur volens, actio foret a patiente, & passio ab agente, atque idem secundum idem agens & patiens: ergo. Prob. min. Principium formale & proprium hominibus agendi est voluntas: unde illud formaliter & proprie per se homo facit, quod volens facit, seu quod ab ejus voluntate procedit. Quod autem involuntarie facit, non censetur formaliter facere ut homo, sed materialiter tantum. Et e contra illud proprie & formaliter homo patitur, quod prater seu contra ejus voluntatem de eo fit, pati enim est vinci, & esse violentie obnoxium: atque, si quis volens pateretur injustum formaliter loquendo, passio esset ab agente quia a volente; & actio, volitio scilicet, esset a patiente, ut supponitur: item idem secundum idem foret agens & patiens; supponitur; agens, quia vellet secundum idem, quia secundum eandem voluntatem, secundum quam formaliter loquendo pateretur, & ageret volendo: ergo. Conf. illud dicitur homo proprie & formaliter pati, quod prater seu contra ejus voluntatem de eo fit, ut dictum est; atque, ubi quis volens pateretur, nihil de eo fieret prater aut contra ejus voluntatem: ergo.

Prob. 2. Nemo, formaliter loquendo, patitur injustum, seu injuriam, nisi in quantum jus ejus violatur; atque hoc ipso, quo consentit, aut vult ladi, vel pati, jus ipsius qua ipso est non violatur: ergo. Prob. min. Hoc ipso, quo vult ladi vel pati, cedit jure suo, illudque a se quantum in ipso est, abiecit, in ludentem transfert, ita quod se ridiculum exhiberet, si in tali casu de damno, vel injuria conquereretur, atque restitutionem, seu satisfactionem exposceret: ergo. Dixi: *jus ipsius, quod ipsius est*: quia, licet non violetur jus consentientis qua ipso est, potest tamen violari quantum ad alterum pertinet, quando nempe plures in eandem rem jus habent, ut patet ex solutionibus objectionum. Ad stipulatur conclusionem Regula Juris 27. in 6. *Scienti & consentienti non fit injuria, neque dolus*. Ceterum intellige



DISSERTATIO VII.

DE ACTU JUSTITIAE UT SIC, NEMPE DE JUDICIO.

Div. Thom. quaest. 60.

ARTICULUS I.

Quid sit Judicium; & utrum sit licitum

NOta. (Q. 62. a. 1. ad 1.) Judicium, secundum nominis etymologiam est quasi *jurisdictionis*, iudicare *jus dicere*, *Judex jus dicens*: unde Judicium secundum primariam significationem importat definitionem, seu determinationem juris, vel justitiae: justum autem, ut patet ex supradictis, est aequale alteri debitum, quod est obiectum, Justitiae. Deinde ampliatum est hoc nomen ad significandam sententiam, seu determinationem in quatuor materia sive speculativa, sive practica, prout nempe distinguitur a simpliciter apprehensione; quia in omni mentis asensu determinatione vera est quaedam aequalitas, seu conformitas: in speculativa conformitas intellectus ad rem; in practica conformitas intellectus ad appetitum rectum. Juxta hanc secundam acceptionem, (*Ibid. ad 3.*) quae est minus propria, judicium est cuiuslibet virtutis, ad quamlibet enim virtutem pertinet recte iudicare in propria materia. Hoc tamen judicium debet potius dici *determinatio recti, seu virtutis*, quam *justi*. Hic itaque agimus de judicio primo sensu sumpto, non solum prout exterius fertur a Judice inter partes litigantes, sed etiam prout exercetur sive exterius, sive interius a privatis circa vitam, res, & mores alienos.


volentem et consentientem tam in Regula, quam in conclusione et probationibus sic, ut omnino libere consentiant, nec ullo modo sit involuntarius. Unde, qui necessitate adactus v. gr. solvit usuras, aut metu mortis latroni pecunias erogat, vere patitur injuriam; quia, licet simpliciter velit, nollet tamen, & consensus praesens contra jus & per injuriam extorquetur.

Prob. 2. pars. (*Ib.*) Potest quis v. gr. solvere alteri minus, quam debeat: putans solvere totum, quod debet ad aequalitatem; vel e contra sciens & volens solvere plus, quam debeat: atque in primo casu volens facit injustum per accidens & materialiter; in secundo autem casu patitur volens: ergo.

Ex his infers, quod aliquem facere injustum, & alium pati injustum materialiter loquendo, semper se comitantur; nullus enim facit injustum, nisi alicui patienti injustum. Sed si formaliter loquamur, potest aliquis facere injustum, intendens injustum facere, tamen alius non patitur injustum, quia, altero nesciente, volens patitur, cedens jure suo, & bene cupiens, ut alter fiat id, quod illi fecit. Et e converso potest aliquis pati injustum formaliter, si volens id, quod est injustum, patiatur; & tamen ille, qui hoc facit ignorans, non facit injustum formaliter, sed materialiter tantum; ut si capias rem alienam putans esse tuam, & is, a quo accipis, id invidet & nolens ferat.

Dices 1. Martyres a Tyrannos vere passi sunt injuriam; atque tamen erant volentes: ergo. Idem dic de Christo respectu Judaeorum. R. D. min. Erant volentes respectu ad Deum, C. respectu ad Tyrannos, N. Martyres itaque, supposita Tyrannorum malitia, iniquas eorum actiones patienter tolerabant propter Deum, at eas non approbant, nec eis consentiebant, quasi suo jure cederent, aut ipsis jus aliquod in suam vitam concederent, cum id non possent. Idem dic de Christo respectu Judaeorum.

Dices 2. Qui occidit volentem & rogantem occidit, propterea committit injuriam, atque injuriam: ergo volentis fit injuria. Idem dic de illo, qui cognoscit uxorem alterius consentientis. R. D. Ant. (*Ib. ad 2.*) Qui occidit volentem, committit proprie injuriam respectu volentis, N. respectu Dei & Republicae, C. itaque homo potest considerari dupliciter, uno modo secundum se, seu ut persona singularis: secundo modo, ut est aliquid Reipub. scilicet pars, & ut est aliquid Dei, scilicet creatura & imago. Qui ergo volentem occidit, non facit injuriam ipsi, quia cessit juri suo: facit autem injuriam Reip. & Deo, quorum juri cedere non potuit. Similiter, qui cognoscit uxorem alterius, non facit injuriam marito consentienti, sed juri & statui conjugali. Vide, quae dicimus de adulterio in Tract. de Temperantia.



Dico 1. Judicium est actus Justitiae. (*Ibid. a.*) Prob. 1. (*Ibid.*) Justitiae est definire & determinare id, quod est justum seu aequale alteri debitum; hoc est enim ejus obiectum; atque judicium secundum primam significationem nihil est aliud, quam definitio & determinatio justitiae, ut patet ex dictis: ergo. 2. Recte definire in materia alterius virtutis procedit ex habitu talis virtutis; (*Ibid.*) quantum nempe virtus inclinatur affectum ad suum obiectum, & intellectus iudicat conformiter ad affectum, quia affectus facit, ut res intellectui videatur conveniens: unde dicitur communiter, qualiter quis est affectus, taliter iudicat de rebus: sic castus recte iudicat ea, quae pertinent ad castitatem, & sic de ceteris: ergo recte definire in materia Justitiae, quod est iudicare, procedit ex habitu Justitiae.

Ad quorum intelligentiam nota, ad rectum judicium duo requiri, (*Ib. ad 1.*) quorum unum est virtus proferens judicium, & sic judicium est actus rationis; dicere enim vel definire aliquid, rationis est. Aliud est dispositio judicantis, ex quo habet idoneitatem ad recte iudicandum; & sic in his, quae pertinent ad justitiam, judicium procedit ex justitia, sicut in his, quae pertinent ad fortitudinem, procedit ex fortitudine. Sic ergo judicium est quidam actus justitiae sicut inclinantis ad recte iudicandum, prudentiae autem sicut judicium proferentis: unde & Synesis ad pruden-

dentiam pertinens dicitur bene judicativa, ut supra habitum est. Est tamen disparitas inter judicium justitiae, & judicium aliarum virtutum. Primum quod in aliis virtutibus, ut jam notavi, judicium dicitur per extensionem tantum, & non sit determinatio justitiae, sed recti, seu virtuosius. Secundum quod aliae virtutes non inclinant directe, & positive appetitum ad bonum proprium, non indigent habitu positive inclinate, sed tantum removente impediencia: justitia vero, cum non sit ad bonum proprium, sed ad bonum alterius, directe, & positive inclinat voluntatem de se non inclinatum ad iudicium rectum, hoc est, ad determinationem aequalis alteri debiti; de quo latius alibi.

Quidam hic operose disputant, utrum Judicium sit actus elicitus justitiae, an imperius; sed res est levis momenti, quae sic forte posset breviter resolveri. Si iudicium consideretur ut respiciens justum secundum omnes debitas circumstantias est actus elicitus prudentiae. Si consideretur ut respiciens justum quantum ad praesens aequale debitum, quod est obiectum formale justitiae, est actus ab illa elicitus. Nec obstat, quod justitia sit in voluntate, & iudicium sit actus rationis; ut enim dicitur actus elicitus ab aliqua virtute, non est necesse, quod sit in potentia, quae hunc actum elicit, sed sufficit quod immediate ab illa regulator, nulla alia mediante virtute: sic oratio est actus elicitus a Religione, licet Religio sit in voluntate, & oratio sit actus intellectus: sic iterum confessio exterior fidei est actus elicitus a fide. Judicium autem, quantum formaliter respicit jus ut alteri aequale debitum, immedie regulari a justitia ut ejus obiectum formale. Si haec tibi non sufficiant, vide, si lubet, Bañnem, & Serram hic inter se pugnantem, aut melius quiesce in verbis S. Th. supra cit. ad 1.

Dico 2. (*Ibid. a. 2. a.*) Judicium debitis circumstantiis vestitum est licitum. Est contra Waldenses, & Anabaptistas, qui, moti quibusdam Scripturae locis, male intellectis, docuerunt non licere Christianis iudicia exercere. Prob. 1. Scripturis. (*Ib. in a. s. c.*) Deut. 16. dicit Deus Moysi: *Judices, & Magistros constituens in omnibus portis tuis, ut iudicent populum iusto iudicio*. Et c. 1. *Quod justum est iudicate*: quod reperit Christus Joann. 7. *Apost. ad Rom. 3. asserit, quod Non sine causa Judex gladium portat; Dei enim minister est vindex in iram ei, qui malum agit*. Petrus Act. 5. iudicavit Ananiam, & Saphiram; Paulus 1. Cor. 5. incestuosum Corinthios. Ecclesia a tempore Apostolorum erexit Tribunal, ad quod deferebantur in primis causa Ecclesiasticae, deinde etiam Saeculares, ut patet ex l. 2. Constit. Apost. c. 37. & ex Aug. l. de opere Monachorum c. 29.

Prob. ratione: Omnis actus virtutis est licitus; atque iudicium debitis circumstantiis vestitum est actus virtutis, scilicet justitiae, ut dictum est, ergo. (*Ibid. a.*) Dixi: *vestitum debitis circumstantiis*, (*Ibid.*) quae sunt tres: 1. ut procedat ex inclinatione Justitiae: 2. quod procedat ex auctoritate Praesidentis: 3. quod proferatur secundum rectam rationem prudentiae. Prima conditio potest intelligi duplici sensu. 1. quod iudicium non sit contra justitiam: 2. quod sit ex amore justitiae, & non ex aliquo motivo humano, puta odio, ira, avaritia, inani gloria, &c. Defectu 1. conditionis primo sensu intellecte iudicium est perversum, & injustum. Defectu ejusdem conditionis secundo sensu intellecte non est proprie injustum iudicium; malum tamen, & illicitum graviter, vel leviter pro qualitate motivi. Defectu 2. conditionis est iudicium usurarium, sed id spectat iudicium publicum; cum enim iustitia sit in privatis, potest autem in eis esse verum, & rectum iudicium absolute auctoritate. Defectu 3. conditionis est iudicium temerarium, quando nempe quis ob leves rationes iudicat dubia, & occulta.

Dices cum Haereticis: Iudicia prohibentur in novo Testamento: ergo. Prob. Ant. 1. Christus Matth. 7. dicit: *Nolite iudicare, ut non judicemini*: & Apost. ad Rom. 14. *Tu quis es, qui iudicas alterum servum*? Secundo Christus Matth. 5. dicit: *Ei, qui tecum vult in iudicio contendere, & tunicam tuam tollere, dimitte ei, & pallium*. 3. Apost. 1. Cor. 6. ipsos redarguit, quod iudicia haberent inter se: ergo. R. N. Ant. (*Ib. ad 1.*) Ad 1. probat. dico, in his locis prohiberi iudicia temeraria, quibus privati ex insufficientibus causis iudicant de occultis dictis, factis, imo & cogitationibus proximorum. Ad 2. R. his verba Christus non promittit, ne auctra in iudicio, vel extra repetamus, sed velie dumtaxat nos ita esse animo comparatos, ut

injurias qualescumque potius feramus, quam vel privata auctoritate eas ulciscamur, aut aliter cum detrimento saluti. Ad 3. Apost. redarguit Corinthios quantum ad duo: primo quod causas suas agerent coram Iudicibus Ethnicis, & non potius coram Christianis, saltem ut arbitris: unde subdit: *Saecularia igitur iudicia si habueritis, contempnibiles, qui sunt in Ecclesie* (id est, etiam viliores inter Christianos) *illos constituere ad iudicandum*. Ubi palam est, non improbari ab Apost. iudicium secundum se. Secundo Apostolus redarguit Corinthios, quod inter se litigarent cum fratribus, & injuris, aliisque vitis, quae solent sequi ex litigatione, & ideo subdit: *sed vos injuriam facitis, & fraudatis, & hoc fratribus*.

Quaeritur, utrum Iudex existens in peccato mortali peccet alios iudicando? R. sub distinctione peccati publici, & occulti (*Ib. ad 3.*) 1. Iudex existens in peccato mortali publico peccat alios iudicando; mortaliter quidem, si de eodem peccato iudicet, puta, si publicus concubinaris condemnat alium concubinarium; si publicus usurarius iudicet usurarium, aut latronem: quia tale iudicium est graviter scandalosum, utpote prebens aliis occasionem contemnendi iustitiam, quasi & eandem vim non haberet in Iudice, ac in aliis, & conquerendi, quod ipse Iudex in aliis puniat, quae ipse committit. Si autem iudicium proferat in alio genere peccati, peccat quidem, sed tantum venialiter, ut si publicus usurarius iudicium proferat in adulterum, publicus concubinaris in latronem: quia tale iudicium non est graviter scandalosum in ordine ad iustitiam.

2. Iudex, existens in peccato mortali occulto (*Ibid.*) si necessitas iudicandi imminet propter officium, potest cum humilitate, & timore iudicare; proinde non peccat nec etiam venialiter, iudicando, etiam si in eodem genere peccati. Prob. Peccatum occultum non tollit auctoritatem jurisdictionis a Iudice, ut est definitum sess. 8. Conc. Const. contra Wicleffium: non etiam tollit rectitudinem iustitiae, ut suppono: neque talis Iudex procedit ex odio, avaritia, aut ex alia passione, ut etiam suppono ex his terminis, *si necessitas iudicandi imminet*: neque iudicium est scandalosum, cum peccatum sit occultum, neque est actus sacer, qui requirat sanctitatem in operante, ac est v. gr. celebratio Missae: neque tandem ad eum Iudex aliqua sanctitate consecratur, ut Sacerdos: ergo ex nullo capite est peccaminosum.

Si dicas, S. Thomas contrarium docuisse in 4. d. 19. q. 2. a. 2. quaestione. 2. R. cum Cajetano, & aliis, S. Doctorem hanc priorem sententiam retractasse, non solum hic, sed & Lect. 1. in c. 8. Joann. & in c. 2. ad Rom.

Oppones insuper 1. Christus Joann. 8. interrogatus de adultera respondit Pharisaeis: *Qui sine peccato est vestram primus in illam lapidem mittat*. 2. Apost. ad Rom. 2. dicit peccatori: *In quo alterum iudicas, te ipsum condemnas*: ergo. R. ad 1. Christum his verbis non significasse immunitatem ab omni peccato requiri in Iudice, ut iudicium ferat, sed voluisse exprobrare Pharisaeis suam hypocrisis, qui, cum essent ipsi multis, & gravibus criminibus obnoxii, ex ficto tamen iustitia, & legis zelo, atque ut apparerent mundi, volebant feminam unius peccati ream morti addici. Ad 2. R. (*Ibid.*) quod propter tale iudicium homo non sic se condemnet, ut novum condemnationis meritum sibi acquirit; sed quia condemnans alium ostendit se similiter condemnabilem esse propter idem peccatum.

ARTICULUS II.

De Suspensione, & Iudicio temerario.

NOta, Suspicionem, Dubitationem, Opinionem, & Judicium, ubi agit de malo proximi, saepe pro uno, & eodem sumi, & sub generali nomine, vel Suspicionis temerariae, vel Iudicii temerarii, comprehendendi. Sic S. Thomas hic art. 3. ubi, cum initio corporis definitisset Suspicionem, quod sit opinio mali ex levibus indicis, in prosecutione ejusdem articuli Suspicionem cum dubitatione, & iudicio confundit, distinguunt triplicem gradum Suspicionis; in quorum 1. respondit dubitationem, in 2. firmam sententiam, in 3. iudicium exterius: Neque id S. Thomas est proprium, sed commune doctis, & indoctis, apud quos Suspicionis temerariae, & Iudicia temeraria saepe confunduntur; & quae sunt simplices Suspicionis vocantur Iudicia, & quae sunt Iudicia, dicuntur Suspiciones. Hujus confusionis duplex potest assignari ratio. 1. est, quod hi omnes actus sint de malo proximi: 2. quod sint ex insufficientibus indicis. At tamen, si stricte loquamur, hi omnes actus inter se distinguuntur. Istenim dubitatio est, cum animus in utramque par-

partem movetur, sed neutri assentitur, manetque pendulus inter utramque. Suspicio est, cum intellectus a dubio, seu medio recedens magis inclinatur in assensum unius partis, sic tamen ut necdum assentiat. Quidam eam non distinguunt ab opinione nisi secundum plus, & minus; voluntque, eam esse opinionem debilem, seu cum magna formidine. Opinio autem est assensus in unam partem cum formidine partis oppositae. Judicium est assensus certus, & firmus in unam partem sine formidine partis oppositae. Nos hic agimus de Suspensione temeraria, prout comprehendit dubitationem, & opinionem: & Quaestio praecipua est, utrum sit ex genere suo peccatum mortale, ita quod in individuo sit semper mortalis, quando est plene deliberata de gravi malo proximi. Et est etiam difficultas de mente S. Th. Ut a certioribus incipiamus,

Dico 1. Judicium temerarium est ex genere suo peccatum mortale. Est certa, & communis cum Auctore. (Hic a. 3. o.) Prob. 1. Ex Scriptura: Math. 7. dicitur: *Nolite iudicare, ut non iudicemini.* Luc. 6. *Nolite iudicare, & non iudicabimini.* Ad Rom. 14. *Tu quis es, qui iudicas seruum alienum?* Jacobi 4. *Qui detrahit fratri, aut qui iudicat fratrem, detrahit legi, & iudicat legem.* Item alibi. Ex quibus locis patet, iudicium temerarium prohiberi tamquam grave peccatum. Prob. 2. Judicium temerarium non est sine injuria, & contemptu proximi, proindeque est contra iustitiam, & charitatem: ergo ex genere suo est peccatum mortale. (Ibid.) Confirm. Unusquisque habet jus, ut bona aestimatio de eo habeatur ab aliis, quandiu non probatur malus; atqui, qui iudicat temerarie de Proximo malo, contra istud jus agit: ergo est contra iustitiam: etiam contra charitatem, 1. Quia contra illud charitatis, & recte rationis principium: *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.* 2. Quia fieri non potest, ut, qui sic de proximo iudicat, illi sit bene affectus.

Sed petes, quomodo iudicium interius sit contra iustitiam, siquidem tam iniustitia, quam iustitia sint circa res, & operationes externas? R. Assumptum esse verum de actibus externis iustitia, & iniustitia. (Ibid. ad 3.) Sed, si loquamur de actibus internis, ut dicantur ad iustitiam, vel iniustitiam pertinere, sufficit, quod ex se ordinentur ad ejusmodi res, vel operationes externas iustas, vel iniustas: sic voluntas furandi pertinet ad iniustitiam, voluntas restituendi ad iustitiam. Iudicium autem temerarium interius ex se ordinatur ad iudicium iniustum exterius, & ad detractionem, sive contumeliam, sicut concupiscentia ad fornicationem, & ira ad homicidium. Ex quo inferes, temerarie iudicantem teneri ad aliquam restitutionis speciem, pro ratione scilicet damni, quod infert. Damnum autem, quod infert, consistit in hoc, quod in ejus mente auferatur iniuste bona existimatio de proximo: debet ergo tale iudicium deponere, & bonam existimationem de proximo concipere.

Dices insuper: probabile est, non esse peccatum mortale revelare crimen proximi uni soli viro prudenti non manifestaturo: ergo multo minus, quod apud te solum iudices temerarie malum proximi. R. Dato anteed. N. Conseq. Disparitas est, quod in 1. casu verum dicas, ex quo suppetit tibi aliquis excusatio. At in 2. iudicas filium, saltem practice, cum iudices certo crimen, ubi non est certum.

Dico 2. Probabilis est, Suspicionem temerariam de malo proximi, prout comprehendit dubitationem, & opinionem, esse ex genere suo peccatum mortale, proindeque in individuo esse semper peccatum mortale, quando est plene deliberata de gravi malo proximi. Ita Bannes, Sylvius, Salonijs, Medina, Aragonius, Molanus, & alii, contra Caj. Navarum, La Crux, Ledesma, Lessium, & alios, quorum quidam suam assertionem intra solius speculationis limites restringunt.

Prob. iis planè momentis, quibus probavimus modò, iudicium temerarium esse ex genere suo peccatum mortale. Et 1. Ex Scriptura: iis enim locis, quæ conclusionem superiori deduximus contra iudicium temerarium, Scriptura non solum intelligit iudicium certum, & firmum, sed iudicium generatim; atqui Suspicio, vel Opinio sunt quædam species iudicii generatim sumpti: ergo. Confirmatur. Scriptura loquitur de iis iudicijs, in quibus homines frequenter inclinant, & ex quibus ut plurimum oriuntur murmurationes, detractiones, odia, &c.; atqui huiusmodi sunt non solum iudicia firma, & certa, sed & maxime suspensiones, dubitationes, & opiniones: ergo.

Prob. 2. Illud peccatum est ex genere suo mortale, quod contrariatur iustitiae, & Charitati; atqui talis est Suspicio temeraria: ergo. Prob. Min. 1. (Ibid. ad 2. & a. 4. o.) Quia

ut dicit S. Th. non est sine contemptu proximi, & ideo injuriatur ei. 2. Unusquisque habet jus, ut aestimetur ab alijs probus, quandiu non apparet sufficienter ejus malitia; atqui contra istud jus agit, qui de eo temerarie malum suspicatur, aut de ejus probitate dubitat: ergo contra iustitiam. Etiam contra charitatem, 1. Quia agit contra hoc primum totius vite socialis principium: *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.* 2. Quia vix fieri potest, ut qui temerarie suspicatur malum de proximo, illi bene afficiatur: ergo.

Respondent adversarii, & est praecipuum eorum fundamentum, esse quidem injuriam, & contemptum, sed incompletum, quia Suspicio est quid incompletum in genere iudicii. Sed contra. Estò contemptus sit incompletus in genere iudicii, inde non probatur istum contemptum incompletum non esse mortalem ex genere suo, quia, licet sit incompletus in genere iudicii, est tamen completus in genere actus perfecte deliberati: sic. v. gr. dubitatio plene voluntaria in materia fidei est iudicium incompletum, & contemptus incompletus in genere iudicii, sed quia est completus in genere actus perfecte deliberati; est sufficiens ad peccatum mortale. Sic iterum detraçtio de proximo apud unum solum virum probum est contemptus incompletus, & tamen juxta valde probabilem sententiam est peccatum mortale ex genere: aut si vis, detraçtio apud decem est contemptus inanis completus, quam detraçtio apud viginti; & tamen utrobique est peccatum mortale ex genere.

Prob. 3. & magis concurrens hoc praecipuum adversariorum effugium. Suspicio temeraria de gravissimis malis proximi est in individuo peccatum mortale. Suspicio temeraria ex genere suo est peccatum mortale. Patet conseq. quia, quod est veniale ex genere suo, quantumvis arguatur, intra suam speciem remanet veniale, nec fit mortale, nisi per aliquam circumstantiam trahatur ad aliam speciem, ut docent communiter Theologi post D. Th. 1. 2. q. 88. a. 5. Prob. Antec. Suspicio temeraria in casu viuius contemnit proximum, & gravem ei infert injuriam: ergo. Prob. Antec. Primò, nemo est, qui non existimet, se graviter contemni, & gravem pati injuriam, si quis de illo sine causa suspicetur, aut etiam dubitet, quòd sit sodomita, incestuosus cum matre, haereticus, magus, sortitarius: &c. ita quòd mallet notabilem pecuniam summam perdere, quam talem de se haberi suspensionem: testes ipsos adversarios appello. Secundò, qui de viro gravi, & integre famæ temerarie iudicaret, quòd sit fornicarius, peccaret mortaliter, fatentibus ipsis adversarijs, propter gravem contemptum, & gravem ei irrogatam injuriam; atqui dubitando, aut suspicando, quòd sit sodomita, incestuosus in primo gradu, magus, &c. magis eum contemnit, & majorem ei irrogat injuriam; quod patet ex eo, quòd iste vir ingenius mallet haberi certo fornicarius simplex, quam venire in suspicionem talium gravissimorum scelerum: ergo.

Neque dicas, eum sic malle, eò quòd timeat, ne ista suspicio in iudicium evadat, & iudicium exterius proferatur, ac tandem puniatur. Quasi verò puniendus sit propter iudicium unius sine probationibus. Sed namquid etiam timeat, ne iudicium de minori crimine exterius pandatur, & inde puniatur, aut saltem diffametur? Ego sanè persuasum habeo, etiam sistendo in sola suspitione interiori, virum probum, & gravem malle pati iudicium de minori crimine, quam suspensionem de gravissimis sceleribus, & sic omnem cordatum sentire existimo.

Restat difficultas de mente D. Th. Prob. 1. ergo conclusio ex D. Th. aut potius instauratur argumentum ex eo iam factum in probat. prioribus. Ideò juxta S. Th. hic a. 30. o. iudicium temerarium est peccatum mortale ex genere suo, quia est cum contemptu proximi; atqui juxta eundem S. Doctorem in Resp. ad 2. & in o. art. seq. suspicio est etiam cum contemptu proximi. Ex hoc ipso, inquit, quòd aliquis malam opinionem habet de alio sine causa sufficienti, indebitè contemnit ipsum, & ideo injuriatur ei: ita ut eodem prorsus modo loquatur de utraque S. Doctor: ergo.

Respondet Serra, S. Th. loqui de suspitione in secundo gradu, in quo pro iudicio certo accipitur. Sed contra; S. Th. loquitur de ea suspitione, de qua loquitur in argumento, cui respondet; sed in argumento, cui respondet, loquitur de suspitione, prout distinguitur a iudicio certo: patet legendi argumentum, quod est sic: *Per iudicium illicitum fit aliqua injuria proximo; sed suspicio mala in sola opinione hominis consistit, & sic non videtur ad injuriam alterius pertinere: ergo suspitionis iudicium non est illicitum.*

Notanda pro Praxi.

UT sive suspicio, sive iudicium temerarium sit peccatum mortale in individuo, tria requiruntur. 1. quòd sit perfecte deliberatum. 2. quòd sit plene temerarium. 3. quòd sit de gravi malo proximi: quorum si unum desit, erit tantum peccatum veniale.

Circa primum.

Notat Sylvius post Lessium & alios, ad peccatum mortale in suspitione, seu iudicio temerario non sufficere qualitercumque deliberatè suspicari, aut iudicare; sed quòd debeat advertere & scire, aut saltem dubitare, te & ex signis insufficientibus, & de re gravi iudicare, aut suspicari; alias, inquit, iudicium non erit voluntarium, aut suspicari; quae, quae est temerarium, aut de re gravi. Id quidem admittit quoad conditionem rei gravis, non solum propter dictam rationem, sed quia tunc non contemnis graviter proximum. Quoad verò insufficientiam indiciorum restringendum puto sic: nisi ex malevolentia, invidia, odio, similive passione voluntarie excecatus circa insufficientiam indiciorum, ea discutere negligas, & iudicium praecipites; tunc enim virtualiter illum advertis, cum debeat, & possis advertere, ut fortè fusus alibi dicitur. Et insuper alioquin vix ullum foret iudicium temerarium, cum homo male affectus erga alterum facile sibi persuadeat indicia quae habet de malo inimici, esse sufficientia.

Notat insuper, & bene, laudatus Theologus ex pluribus alijs, quòd, quando quis timorate conscientiae dubitat aut non meminit se consensisse suspitioni, seu iudicio temerario, non sit metuendum de peccato mortali, quamvis diu duraverit cogitatio; quia potest prudenter existimare, vel se non consensisse, alioquin conscientia remorderet, vel se habuisse sufficientia indicia. Secus dicendum de iis, qui libenter vitam aliorum carpunt, & de sua salute sunt parum solliciti.

Item non incongrue a quibusdam statuitur hæc altera Regula pro timoratis, maxime pro scrupulosis. Quando interrogati, an, si advertissent esse iudicium temerarium, & peccatum, deliberatè voluissent consentire? si respondeant negativè, censendum est, non peccasse mortaliter, quia vel non fuit consensus, vel non plene deliberatus. Instruantur insuper, ut bene distinguant inter iudicium verum, aut suspicionem veram, & solam rei representationem, seu simplicem cogitationem; hæc enim non est peccatum, sed tentatio & occasio meriti, si repellatur; sicut & peccati, si admittatur.

Hæc porò Regula etiam currunt in tentationibus sive contra fidem, sive contra castitatem, quibus frequenter torquentur timorate conscientiae.

Sed, si iudicium temerarium fuerit quidem plene deliberatum, paucò tamen tempore duraverit, & iudicium statim se corripit, fuitne peccatum mortale? R. affirmativè. Quia malitia iudicii temerarii non a mora temporis, sed a contemptu, & injuria proximi dependet: fuit autem injuria plene deliberata, etsi diu non duraverit.

Dices: Qui rem alienam ad breve tempus accepit, non peccat mortaliter: ergo similiter hic. R. vel ille accipiendo rem alienam intendit statim reddere, vel non: si non, peccat mortaliter, quia per acceptionem rei alienæ cum intentione retinendi completur peccatum furii: si intendat statim reddere, non peccat quidem mortaliter, quia, ut suppono, nullum sequitur damnum domino, nec ipse foret in hoc casu rationabiliter invitus. At hic modus non habet locum in nostro casu, in quo per iudicium temerarium deliberatum, etsi non diuturnum, infertur verè injuria proximo, qui ideo est rationabiliter invitus.

Circa secundum.

Nota 1. Merito dixi, iudicium temerarium non esse peccatum mortale, nisi sit plene temerarium, cum tota ejus malitia ex temeritate oriatur; ita ut si nullo modo esset temerarium, hoc est, si adessent omnino sufficientia indicia, nullatenus foret peccatum; quia tunc esset iudicium prudens & rationale, neque per illud inferretur injuria proximo: proximus enim amisit jus suæ famæ, & bonæ existimationis respectu illius, cui ejus crimen sufficientibus indicijs probatur. Quòd si indicia non sint quidem omnino sufficientia, proxime tamen accedant ad sufficientiam, non erit etiam peccatum mortale; quia magna probabilitas non multum distat a morali certitudine;

Obijces. S. Th. hic a. 3. o. distinguens tres gradus suspensionis dicit: *Primus quidem gradus est, dum homo ex levibus indicijs de bonitate aliquus dubitare incipit; & hoc est veniale & leve peccatum; pertinet enim, inquit Ang. ad tentationem humanam, sine qua vita ista non ducitur.... Secundus gradus est, dum aliquis pro certo malitiam alterius aestimat ex levibus indicijs; & hoc, si sit de aliquo gravi, est peccatum mortale, in quantum non est sine contemptu proximi.... Tertius gradus est, cum aliquis iudex ex suspitione procedit ad aliquem condemnandum: ergo juxta S. Th. seu suspicio, seu dubitatio temeraria non est ex genere peccatum mortale.* Insuper S. Th. Quodl. 12. a. 34. dicit: *Suspicio autem est quid imperfectum in genere iudicii, & ideo est imperfectus motus; & ideo non est mortale ex genere: quamvis si fiat ex odio, erit aliquando mortale: ergo.* Ad 1. R. cum Sylvio & alijs S. Thomæ interpretibus, S. Doctorem, sicut & S. Aug. in quo ibi fundatur, loqui de suspitione repentina, & non plene deliberata: quod patet 1. ex ipsis ejus verbis: *dum, inquit, homo dubitare incipit: nemo enim dicitur incipere dubitare, qui post plenam advertentiam deliberatè dubitat, & dubitare pergit, maxime de gravi malo proximi.* 2. patet ex ratione, quam affert ex Aug. scilicet quòd talis suspicio pertinet ad tentationem humanam, sine qua hæc vita non ducitur. Porro suspicio temeraria plene deliberata de gravi malo proximi non ad humanam, sed ad diabolicam tentationem pertinet, ut bene notat Bannes; & falsum est, plerumque vitam sine talibus suspitionibus non duci.

Inferes ex solutione data: ergo. S. Th. nihil determinat de suspitione deliberata, de qua tamen querit in articulo, & quam initio corporis definit esse opinionem mali ex levibus indicijs, siquidem in 2. & 3. gradu non de suspitione, sed de iudicio certo loquitur. R. N. Illationem: 1. quia S. Doctor & in Responsione ad 2. & art. sequenti o. singulariter determinat de suspitione deliberata his verbis: *Ex hoc ipso, quòd aliquis habet malam opinionem de alio absque sufficienti causa, injuriatur ei, & contemnit ipsum.* Quòd fuit fundamentum nostræ assertionis. 2. quia, sicut sub primo gradu comprehendit, non solum suspicionem, aut dubitationem, sed etiam iudicium, quando indeliberatè fiunt; ita sub 2. gradu comprehendit non solum iudicium, sed suspicionem & dubitationem quando deliberatè fiunt.

Inst. contra 2. solut. In 2. gradu loquitur tantum de iudicio certo: *Secundus gradus, inquit est cum aliquis pro certo malitiam alterius aestimat ex levibus indicijs: ergo.* R. cum Sylvio, S. Th. equidem primario in 2. gradu agere de iudicio certo, secundario tamen de suspitione deliberata, quia quòd hic dicit de iudicio; nempe, quòd non sit sine contemptu proximi, idem dicit de suspitione ad 2. & art. seq. o. Vel cum Banne, S. Thomam per ly certum intelligere perfecte deliberatum, ita quòd sensus sit: dum quis pro certo, hoc est perfecte deliberatè malitiam alterius temerarie aestimat sive dubiam, sive suspectam, sive opinabilem, sive certam, &c. Quia in materia morali iudicium potest dici certum, quamvis non excludat formidiam de opposito, modo sit perfecte deliberatum: patet in Iudice, qui cum per duos testes idoneos iudicat crimen alterius, dicitur certo iudicare, & tamen non semper in eo excluditur omnis formido de opposito.

Repones. Videtur ridiculum, quòd S. Th. specialiter definat in 1. gradu suspicionem indeliberatam esse peccatum veniale, cum id sit omnibus notum, & omnibus peccatis commune: ergo. R. id nec ridiculum, nec insolitum esse in D. Th. quando agit de peccatis internis, quæ facile, & frequenter subrepunt, ut sunt suspiciones malæ de proximo, ad quas ex humana fragilitate propensiones sumus. Ad 2. R. Similiter S. Th. loqui de suspitione imperfectè deliberata; quia ponit ibi comparationem cum voluntate adulterandi, quam dicit esse peccatum veniale, quando est incompleta, ubi certum est; quod per incompletam intelligit indeliberatam, cum constet voluntatem adulterandi deliberatam esse peccatum mortale. Addit autem, quòd si suspicio fiat ex odio, erit aliquando mortalis, quia cum ex odio procedit, est ordinariè plene deliberata.

Replicabis cum Serra, Peccatum, quòd est ex genere mortale, non dicitur veniale ex genere propter indeliberationem: ergo. R. D. Si ly ex genere attendatur ex parte objecti, C. si ly ex genere attendatur ex parte principij, N. Bono enim sensu dici potest, quòd omnis actus indeliberatus in materia morali sit peccatum veniale ex genere, hoc est ex conditione; & natura talis actus, qui deest principij moralitatis, scilicet deliberatio.

unde non erit gravis temeritas, nec proinde gravis injuria. Et quia judicare certo est quid plus, quam simpliciter opinari...

Nota 2. Ad dignoscendum vero, quae indicia sint sufficientia, & quae non sint, statui possunt duae Regulae generales. Prima Regula: Quando indicia ex se, vel ex communi hominum usu sunt raro conjuncta cum malo...

Ex his Regulis inferes 1. Si videas juvenem libidinosum, & petulantem cum meretrice sola colloquentem, sufficientis indicium est, ut judices illum de libidine cogitare...

Haec, inquam, & sexcenta similia resolvuntur ex statutis Regulis.

Circa tertium.

Nota: Malum grave in hac materia sicut in materia detractionis esse id omne, & solum, quod attentata personarum, & facti qualitate est valde prodiosum ac graviter nocivum honori, famae, ac bonae existimationi proximi, sive peccatum sit, sive non: quia malitia hujus peccati consistit in contemptu proximi.

Quamvis ergo peccatum mortale secundum se sit materia gravis, & peccatum veniale materia levis; per accidens tamen ex personarum, aut facti qualitate contrarium saepe contingit. Quidam enim sunt, qui ex certis peccatis etiam mortalibus non diffamantur apud homines, nec ipsi verecundantur, sed quandoque, laudi ducunt, v. gr. duellum, aut fornicatio respectu militis, ebrietas respectu plebei in his partibus, de quibus si haec temerarie judices, non peccas mortaliter, quia respectu illorum non est materia gravis. Et contra quidam sunt, qui ex peccatis venialibus, aut etiam ex his, quae peccata non sunt, multum contemnuntur: ut si de Episcopo, vel Summo Pontifice temerarie judices esse mendacem habitualiter: de Moniali, quod frequenter colloquatur noctu cum adolescentulis: de viro natalibus, & dignitate claro, quod sit illegitimus, quod sit fatuus, si tamen ob hos defectus sic eum contempnas, ut honoribus, & officiis indignum judices; si enim, non obstante hoc judicio, eum in eodem pretio, & honore habeas, peccabis tantum venialiter.

Petes 1. Utrum, qui temere judicat in re gravi de eo, quem eminus videt, aut nocte invenit, nec agnoscit, peccet mortaliter? R. probabiliter negative: quia iste ignotus non videtur inde multum laedi; nec ipse, si sciret tale judicium, multum aegre ferret, bene sciens, quod agnitus judicium alterius reformaretur.

Petes 2. Ex quibus causis oriuntur suspiciones & judicia temeraria? R. ex tribus. (Hic a. 3. o.) ex hoc quod aliquis sit ex seipso malus; inde enim quasi conscius suae malitiae faciliter de aliis malum opinatur, secundum illud Ecclesiast. 10. In via stultus ambulans, cum ipse sit insipiens, omnes stultos aestimat. 2. ex hoc quod aliquis

malè afficiatur ad alterum: cum enim aliquis contemnit, vel odit aliquem, aut irascitur, aut invidet ei, ex levibus signis opinatur mala de ipso, quia unusquisque faciliter credit, quod appetit. 3. ex longa experientia: unde Philosophus dicit in 2. Rethor. cap. 13. quod Senes sunt maxime suspiciosi, quia multoties experti sunt defectus aliorum. Primae autem duae suspicionis causae manifeste pertinent ad perversitatem suspicionis: tertia dimittit rationem suspicionis temerariae, in quantum experientia ad certitudinem proficit, quae est contra rationem suspicionis temerariae.

ARTICULUS III.

Utrum dubia sint in meliorem partem interpretanda.

Nota (Ibid. a. 4. ad 2.) Dubium potest esse, vel de rebus, vel de personis. De rebus v. gr. utrum sol moveatur circa terram, an terra circa solem: utrum talis contractus sit licitus, an illicitus. De Personis, v. gr. utrum Petrus tale crimen commiserit. Certum est, (Ibid.) dubia de rebus non esse in meliorem partem interpretanda, sed suis aestimanda momentis: quia in judicio, in quo de rebus judicamus, non attenditur bonum, vel malum ex parte ipsius rei, de qua judicamus, cui nihil nocet qualitercumque judicemus de ipsa, sed attenditur tibi solum bonum judicantis, si verè judicet; vel malum, si falsò; quia verum est bonum intellectus, falsum autem malum ipsius. Et ideo unusquisque debet niti ad hoc, quod de rebus judicet secundum quod sunt. Sed in judicio, quo judicamus de hominibus, praecipue attenditur bonum & malum ex parte ejus, de quo judicatur; qui in hoc ipso honorabilis habetur, quod bonus judicatur; & contemptibilis, si judicetur malus.

Quaestio est itaque tantum de dubiis circa personas, an in meliorem partem sint interpretanda? Dupliciter autem dubium potest interpretari in meliorem partem: uno modo negativè non declinando in pejorem; altero modo positivè, declinando in meliorem.

Dico 1. Dubia sunt in meliorem partem interpretanda saltem negativè. Sequitur ex praeced. articulo, & ex eodem principio. Prob. Hoc ipso quod aliquis habet malam opinionem de alio absque sufficienti causa, contemnit ipsum, & injuriatur ei, ut dictum est, quod est illicitum; atqui, qui dubium de malo proximi non interpretatur in meliorem partem saltem negativè, sed declinat in pejorem, habet malam opinionem de proximo absque sufficienti causa, cum rationes dubitandi sint in utraque partem, & ideo insufficientes ad suspicandum, aut opinandum in pejorem: ergo. Idem probant omnia, quae diximus contra suspicionem, & judicium temerarium. Et est Augustini l. 2. de Serm. Domini in monte c. 18. in haec verba Christi Matth. 7. Nolite judicare, &c. Hoc loco, inquit, nihil aliud nobis praecipit existimo, nisi ut ea facta, quae dubiam est quo animo fiunt, in meliorem partem interpretemur.

Dico 2. Dubia non sunt semper in meliorem partem interpretanda positivè, sed in certis tantum casibus. Ita communiter cum Cajetano contra Soto. Prob. 1. Pars Praeceptum bene judicandi de proximo in dubio, seu, quod idem est, dubium hoc in meliorem partem interpretandi positivè est affirmativum, sicut praecipuum ipsum honorandi, diligendi, &c. atqui praecipuum affirmativum licet semper obliget, non tamen obligat pro semper: sic non tenetur elicere continuo actum dilectionis proximi: ergo. Unde etiam Christus Matth. 7. non dixit: judicate semper bene de proximo; sed: Nolite judicare, male scilicet: similiter Apost. ad Rom. 14. Qui non manducat, manducantem non judicet. Confirm. Qui nullam habet rationem dubitandi de bonitate proximi, non tenetur judicare semper quod sit bonus: ergo a fortiori nec ille, qui habet rationem dubitandi.

Prob. 2. Vel sunt sufficientes rationes dubitandi, vel non. Si primum, possumus manere dubii suspendentes judicium, nec declinantes in alterutram partem; quia dubium non est temerarium, sed rationale. Si secundum, debet statim excipi dubium, quia est temerarium, sed non est noster casus; agimus enim de dubio fundato, & rationabili. Confirm. In casu veri, & rationabilis dubii obiectum est neutrum: ergo, qui neuter manet circa ipsum, agit prout exigit natura obiecti, proindeque conformiter rectae rationi.

Attamen, & est 2. pars conclusionis, supposito, quod re utrumque dubia aliquis actus sit elicidens de bonitate, vel

vel malitia proximi, ille debet fieri in meliorem partem, adeoque dubiam positivè interpretari in meliorem partem: & id directè probant rationes primae conclusionis. Item, si gravis urgeret tentatio male opinandi, vel judicandi de proximo, quam quis vincere non posset nisi positivè judicando in bonam partem, ad id etiam teneretur propter eandem rationem.

Dices contra 1. partem. S. Th. hic o. & in solutionibus argumentorum docet, ita in meliorem partem dubia esse interpretanda, ut proximum habeamus, & judicemus bonum, quamvis in hoc frequenter fallamur; atqui hoc est dubia in meliorem partem interpretari positivè, ergo. R. cum Cajetano, hic S. Th. esse intelligendum ex suppositione, quod sit judicandum, ut dictum est in 2. parte conclusionis.

Dices contra 2. partem. Judicium magis debet esse de eo, quod ut in pluribus accidit, alioquin errori exponitur; sed in pluribus accidit, quod aliqui male agant quia Stultorum est infinitus numerus Eccles. 1. Proxi enim suae tenus homini ad malum ab adolescentia sua. Genes. 8. ergo dubia debemus magis interpretari positivè in malum, quam in bonum, etiam in casibus positis. R. D. maj. (Ibid. ad 1.) Judicium debet magis esse de eo, quod ut in pluribus accidit, si inde non sequatur injuria proximi, C. Secus, N. Fateor ergo posse contingere, quod ille, qui in meliorem partem positivè interpretatur, frequentius fallatur: sed melius est, quod aliquis frequenter fallatur habens bonam opinionem de aliquo malo homine, quam quod rarius fallatur habens malam opinionem de aliquo homine bono; quia ex hoc fit injuria alicui, non ex primo, in quo tantum habetur error speculativus; qui licet sit malum, non est tamen malum simpliciter, sed secundum quid, quia non est malum morale, sicut injuria facta proximo. Virtutes enim morales, cum pertinent hominem in ordine ad finem ultimum, efficiunt bonum simpliciter, adeoque malum ipsi oppositum, quod est malum morale, est malum simpliciter. Virtutes autem intellectuales speculativae, cum periciant potentiam particularem, scilicet intellectum, in ordine ad bonum particulare tantum quod est verum, non efficiunt bonum simpliciter, sed secundum quid; & consequenter malum ipsi oppositum non est malum morale, nec malum simpliciter, sed secundum quid. Dicitur autem recta ratio, eligendum esse minus malum, ut vitetur majus. Quamvis ergo in casu adsit judicium speculativè falsum propter defectum conformitatis ad rem, adest tamen judicium practicè verum propter conformitatem


tem rectae rationi, dictanti ex lege Prudentiae, Justitiae, & Charitatis, esse hic, & alicui in bonam partem judicandum, etiam cum periculo erroris speculativi; satiusque esse pati errorem speculativum, qui ad mores non pertinet, nec est malum simpliciter, quam errorem practicum, qui ad mores pertinet, & est malum simpliciter. Unde S. Th. hic ad 2. dicit, homini judicanti falsum, judicium, quo bene judicat de alio, non pertinet ad malum intellectus ipsius, practici scilicet. Et Aug. in Ps. 147. Non se multum dolet errare, cum bene credit etiam de malo. Quid perdo, si credo quod bonus est?

Dices insuper contra eandem partem. Ex Regula Juris in 6. Semel malus semper praesumitur malus: ergo. R. Hanc Regulam intelligendam esse, non in ordine ad judicium de proximo, sed in ordine ad cautelam & remedium malis adhibendum.

Nota diligenter pro praxi (Ibid. ad 4.) Quando agitur de cautela, seu remedio adhibendo malis nostris, vel alienis, licitum est interpretari dubia in pejorem partem, non quidem definiendo, sive determinando, sed supponendo, quod pejus est, aut etiam judicando, quod possit esse tale: sic enim expedit, ut securius remedium, seu cautela adhibeatur, quia remedium, quod est efficax contra majus malum, multo magis est efficax contra minus malum: nec ulli facis injuriam, quia non judicas, neque suspicaris, aut dubitas tuum proximum esse de facto vitiosum; sed supponis dumtaxat esse talem, aut judicas posse esse talem, quod utique verum est, nec ulli injuriosum, & ex ea suppositione tibi tuisque caves, ac si revera talis esset.

Hoc genere suppositionis passim utimur absque peccato: sic Pater prohibet prudenter filiae consortium alienius adolescentis, quia potest ab illo seduci: Dominus attentius claudit arcam, custodit pecunias, quia domestici, vel hospites ignoti possunt esse fures: Viator expedit arma in occursum hominis ignoti, quia potest esse latro: vitat occursum vetulae deformis, quia potest esse saga: & sic plura alia. Cave tamen, ut semper rectum de proximo judicium in mente teneas, nec ultra sufficientiam iudiciorum dubites, suspicaris, aut judices. Sic etiam tuis cave, ut per nimiam cautelam proximum non diffames, aut contristeris.

Utrum judicium publicum sit secundum Leges ferendum, & per usurpationem fiat perversum, quod art. 5. & 6. dicitur Auctor, dicam infra, dum de iniustitia Judicis.



DISSERTATIO VIII.

DE ACTU JUSTITIÆ COMMUTATIVÆ, NEMPE DE RESTITUTIONE.

Div. Thom. Quaest. 62.

ARTICULUS I.

Utrum Restitutio sit actus Justitiae commutativae.

Nota 1. (Q. 62. a. 2. o.) Restituere, secundum primam nominis impositionem, est quasi iterato aliquem statuere in possessionem, vel dominium rei suae. (Ibid. ad 2.) Sed quia quaedam res sunt, in quarum possessionem homo non potest iterato statui, ut sunt vita, & membra injustè ablata, & tamen qui haec agunt, non sunt a restitutione immunes; ideo apud Theologos, & Jurisconsultos extensum est restitutionis nomen, ut etiam significaret damni illati compensationem. Unde restitutio in tota sua latitudine definitur potest: Rei acceptae reddito, vel damni illati compensatio. (Ibid. o.) Intelligendum rem acceptam, sive per voluntatem domini, ut in mutuo vel deposito, vel contra voluntatem domini, ut in furto vel rapina.

Nota 2. Differt autem restitutio a solutione & satisfactione. A solutione; quia solutio postulat, ut res, quae solvitur, sit diversa a re, pro qua solvitur; & quod nondum fuerit in possessione illius, cui solvitur. Restitutio autem non postulat, ut res, quae restituitur, sit diversa a re, pro qua restituitur, quin potius postulat, ut sit eadem quantum fieri potest, aut saltem aequivalens, & consequenter postulat quantum est ex se, ut jam fuerit in possessione illius, cui restituitur. Unde, qui depositum reddit, vere restituit, non tamen solvit: e contra, qui dat pecuniam pro trifido empto, proprie solvit, non tamen restituit. Altera differentia Theol. Billuart. Secunda Secunda.

rentia est, quod restitutio attendat valorem rei, cui aequivalere debet; solutio autem non tam valorem rei, quam conventionem nititur. Unde fit, quod utrius plus solvat, quam alter pro re aequalis valoris, & justè sistendo infra limites pretii legitimi; quod fieri non potest in restitutione justa. A satisfactione distinguitur restitutio: (In 4. d. 5. q. 1. a. 5. quaestione. 1.) 1. quia satisfactio proprie respicit personam, cui fit satis, quamvis non exhibeat aequivalens debito: restitutio autem respicit rem, quae debet eadem reddi, vel aequivalens. 2. Satisfactio respicit injuriam illatam, seu honorem violatum, etsi nullum aliud dampnum sit illatum: restitutio autem respicit dampnum illatum. Unde potest esse satisfactio sine restitutione, ut dum satisfacimus Deo pro peccatis, aut petimus veniam ab eo, quem contumelia affecimus. Similiter potest esse restitutio sine satisfactione, ut in redditione depositi, vel mutui. Potest etiam utraque esse simul, ut dum reddimus rem injuriosè ablatam non humiliando, aut veniam petendo. His notatis,

Dico: Restitutio est actus Justitiae commutativae. (Q. 62. a. 1. o.) Prob. (Ibid.) Ad Justitiam commutativam pertinet constituere aequalitatem rei ad rem inter datum, & acceptum, inter datum, & compensationem; atqui hoc fit per restitutionem: ergo restitutio est actus Justitiae commutativae. Minor patet ex notatione modo data restitutionis. Major etiam patet ex dictis supra Diss. 5. a. 3. de divisione Justitiae commutativae & distributivae; ubi ostendimus eas in hoc distinguì, quod commutativa attendat aequalitatem rei ad rem: distributiva aequalitatem, seu potius proportionem rei ad